

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7325

Auteur(s) : Richard, Winchester (évêque)

Bénéficiaire(s) : Saint-Jean de Jérusalem (ordre)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1185, 10 avril

Lieu d'émission : Douvres

Action juridique : autre

Description de l'original : Chirographe. (CIROGRAFUM)

Langue du texte : latin

Chirographe. (CIROGRAFUM)

Analyse

Accord conclu par les soins du roi, en présence d'Héraclius, patriarche de Jérusalem, entre Richard, évêque de Winchester, et les Hospitaliers, au sujet de la maison de Sainte-Croix hors Winchester.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DCXLVI, t. 2, p. 258-260.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, Recueil des actes de Henri II, t. 2, p. 259.

Texte établi d'après a

CIROGRAFVM.

Cum inter dominum Ricardum, Wintoniensem episcopum, et fratres Hospitalis Jerosolimitani questio pridem esset agitata super custodia et administratione domus Sancte Crucis extra muros Wintonie constituta, interveniente tandem et partes suas pia sedulitate interponente Henrico, illustrissimo rege Anglorum secundo, presente domino Ricardo, Wintoniensi episcopo, et Johanne priore ac conventu Wintoniensi assensum prebentibus, presentibus quoque et assensum prebentibus Rogerio de Molins, magistro domus Hospitalis Jerosolimitani, et fratre Garnerio de Neapoli, priore domus Hospitalis in Anglia, de concordi et communi voluntate fratrum suorum tam Jerosolimis quam in Anglia commorantium, finem pacis in hunc modum sortita est: Prefatus siquidem magister Rogerius et fratres ejus prescripte domus Sancte Crucis custodie et administrationi ac universo juri quod in prefato loco et in redditibus ei assignatis se habere dicebant penitus renunciaverunt, et ea in manus ejusdem Wintoniensis episcopi cum universis munimentis et cartis quas inde habebant sine omni reclamatione resignaverunt, ita tamen quod institutio super centum et tredecim pauperibus a bone memorie Henrico quondam Wintoniensi episcopo ordinata et scripto expressa in perpetuum inviolabiliter observabitur, et prefatus Ricardus Wintoniensis episcopus centum pauperes intuitu Dei et pro salute anime domini regis et sua predictis centum et tredecim pauperibus adjecit,

ita quod ducenti de illis in perpetuum secundum institutionem Henrici quondam Wintoniensis episcopi factam de centum in predicta domo Sancte Crucis pascentur, tredecim vero secundum ejusdem ordinationem pascentur et vestientur. Nec licebit umquam ipsi Ricardo Wintoniensi episcopo vel alicui successorum ejus elemosinam deputatam ad victimum pauperum in domo illa in alium usum convertere, neque numerum ipsorum ducentorum et tredecim pauperum diminuere, neque custodiam vel administrationem ipsius domus Sancte Crucis ullis umquam temporibus prefatis fratribus Hospitalis Jerosolimitani committere, vel eamdem domum alicui alteri religioni subicere, sed ipse et successores sui tenebunt eam in manu propria, ordinandam per quam voluerint personam idoneam et honestam. Nichilominus pro bono pacis idem magister Rogerius et fratres ejus clamaverunt quieta omnia tenementa que dicebant ad jus suum pertinere, que memoratus Ricardus Wintoniensis episcopus tunc tenebat juxta domum Sancte Brigide apud Londonias. Exhortante vero domino rege prefatus episcopus, contemplatione religionis memorare domus Hospitalis Jerusalem et affectuose devotionis quam dominus rex et ipse semper ad eam habuerunt, donavit et assignavit prefatis fratribus Hospitalis Jerusalem, ad sustentationem Hospitalis Jerusalem et pauperum Christi in Hospitali illo perpetuo degentium, ecclesias de Morduna et de Hanincton[a] pro redditibus quinquaginta marcarum argenti, usibus eorum perpetuo applicandas et pacifice possidendas. Preterea fecit ipsos fratres Hospitalis absolvii in perpetuum a solutione annue pensionis decem marcarum argenti et duorum cereorum de decem libris cere, quas solebant annuatim solvere monachis Sancti Swithuni pro domo Sancte Crucis, dum ejus administrationem habuerant, ita quod prefati monachi prescriptam pensionem ab ipsis fratribus Hospitalis exigere de cetero non poterunt ; et vice versa predicti fratres Hospitalis Jerosolimitani nichil umquam futuris temporibus a prefato episcopo vel successoribus suis sive a monachis Wintoniensibus poterunt exigere, occasione juris alicujus quod in prefata domo Sancte Crucis se dicebant habuisse. Celebrata est autem transactio ista anno incarnationis dominice M° C° LXXX° quinto, quarto idus Aprilis, sedente in cathedra summi pontificatus Lucio papa tertio, regni regis Anglorum Henrici secundi XXXI°, apud Doveram, Eraclio patriarcha Jerosolimitano et Rogerio de Molins magistro fratum domus Hospitalis Jerosolimitani tunc in Anglia ibidem constitutis.

His testibus : Henrico illustri rege Anglorum, Eraclio patriarcha Jerosolimitano, Johanne episcopo Norwicensi, Randulfo de Glanvilla justiciario domini regis in Anglia, Heriberto Cantuariensi archidiacono, Huberto Walteri, Heriberto fratre domus milicie Templi, magistro Stephano Remensi, magistris Hamone et Ricardo, medicis, magistro Roberto de Buketorpe, magistro Thoma Griffino, Jordano de Turri, Thoma et Hugone de Gaiherste, Thoma de Tornaco, Jocelino de Risendona, Gaufrido de Niuporte, Randulfo de Geddinges, Roberto de Cirecestria, et multis aliis.

† Ego Ricardus, Wintoniensis episcopus, subscripsi.

Ego Rogerius, domus Hospitalis Jerosolimitani humilis custos, subscripsi. Ego Garnerius, prior in Anglia tunc, interfui. Ego Alanus, frater Hospitalis, presbiter, interfui. Ego Rainaldus, frater Hospitalis, interfui. Ego Hylarius, frater Hospitalis, interfui.